

pars, olla est, five ahenum, in quo carnes coquuntur. Opes lebetum numero metiuntur: nec regem Galliaë aliam ob causam initio magni aestimabant; quàm quòd plures habere ollas dicebatur. Quanta sit apud exleges, & omni freno solutos, intemperantiæ impunitas & licentia, præsertim in adolescentibus, promptum est intelligere: nam grandiores natu libidinem certis finibus circumscribunt, cùm ætus cupiditatum deferbuit: nec impune est peccanti feminæ.

Religionis apud illos neque lex ulla, neque cura. Nullo statuto & certo cultu Numen prosequuntur. Esse tamen aliquod, velut in sublustri nocte, vident. Quod quisque puer aspicit in fomnis, cum lucefcere ratio incipit, hoc illi deinceps numen est, canis, urfus, avis. Vivendi normam & agendi plerumque ducunt è fomniis; ut si quem interficiendum, exempli causa, fomniaverint, non conquiescant donec hominem infidiis exceptum necaverint. Piget fabulas referre, quas de mundi opificio comminiscuntur. His implent otiosas & avidas plebis aures harioli, & circulatores nequissimi, impietate quæstuosa. Malorum auctorem genium nescio quem vocant Manitoù, ac vehementissime perhorrescunt. Hostem procul dubio generis humani, qui à nonnullis divinos honores & sacrificia quædam extorquet. Circa naturam animarum non levius delirant. Simulacra fingunt corporea, cibi & potionis egentia. Destinatum animabus versus occidentem solem, pagum credunt, in quem obita morte